

et Romane ecclesie presenti scripto relinquentur et salvo omni iure Romane ec[clesie adversus] detentatores rerum beati Petri et salvis his que scripta sunt tam pro¹ parte domini pape et ecclesie quam pro parte domini imperatoris et imperii.

24) Pacem² vero predictam Romanus pontifex promittet se observaturum in verbo veritatis et omnes cardinales, et privilegium inde faciet cum subscriptione omnium cardinalium³. Ipsi etiam cardinales scriptum confirmationis predictae pacis facient cum appositione sigillorum suorum.

25) Et dominus papa statim advocato concilio quale subito advocari potest, cum cardinalibus episcopis aliisque religiosis viris qui interfuerint, excommunicationem statuere in omnes qui hanc pacem infringere temptaverint. Deinde in generali concilio idem faciet.

26) Plures etiam de nobilibus Romanis et capitaneis Campanie hanc eandem pacem iuramento firmabunt.

27) Imperator vero pacem ipsam⁴ firmabit iuramento suo et principum et confirmationem corroborabit scripto suo cum subscriptione⁵ sua et principum.

28) Si forte, quod non sit, dominus papa premoriatur, dominus imperator et dominus Heinricus rex filius eius et principes hanc formam pacis et compositionis firmiter observabunt successoribus suis et cardinalibus universis et toti ecclesie Romane et regi Scicilie⁵ et Lombardis et ceteris qui secum sentiunt. Similiter, quod⁶ absit, si dominus imperator premoriatur, dominus papa et cardinales et ecclesia Romana iam dictam pacem firmiter observabunt Beatrici felici uxori eius et Heinrico filio eius et omnibus de Teutonico regno et ceteris, sicut scriptum est, adiutoribus suis.

29) Interim autem, donec tractatus pacis durabit, dominus imperator per se vel suos guerram non faciet terre domini pape quam ipse tenet vel rex Scicilie⁵ per eum vel alii.

30) Si vero, quod deus avertat, ab altera parcium renuntiatum fuerit tractatui pacis, postquam eadem renunciatio significata fuerit alteri parti, predicta securitas per tres menses inconvulsa perseveret.

+ Ego Wigmannus Madeburgensis archiepiscopus subscripsi.

+ E[go Cristianus Ma]guntinus archiepiscopus subscripsi.

+ Ego Cunradus Wormaciensis electus subscripsi.

+ Ego Arduinus imperialis aule protonotarius subscripsi.

1) pro sofort über der Zeile nachgetragen. 2) Vor Pacem grosses rundes, aber ursprüngliches Loch, welchem der Schreiber auswich. 3) et privilegium — cardinalium auf Rasur. Es folgt dann ebenfalls auf Rasur Ipsi etiam, doch ward dieses, weil die Tinte zerlief, durchstrichen und dann auf rasurfreiem Raum wiederholt. 4) Vorher hanc durchstrichen. 5) A. 6) Vorher d durchstrichen.